

Imago huiusmodi debent

propterea quod huiusmodi signa sunt

R E G I S T R V M

\* A B C D E F G H I K L

Omnes sunt huiusmodi signa

quod in huiusmodi signis

AL DVS




A P V D A L I F L I O S

V E N E T I S

M D L N

M. ANTONII MVRETI  
ORATIONES TRES DE  
STVDIIS LITERARVM,  
VENETIIS HABITAE.



VENETIIS, M. D. LV.

M. ANTONII MURETI  
ORATIONES TRRES DE  
STVDII LIBERAVM,  
VENETIS HABITAE.



VENETIS, M.D.LV.

M. ANTONIUS MURETVS  
HIERONYMO FERRO,  
PATRICIO VENETO, PATA-  
VINI GYMNASII IIIVIRO,  
VIRO CLARISSIMO S. D.



IV multumq; dubitavi, HIERONYME, vir clarissime, deberemne, cum has qualescunque orationes diuulgare in animo haberem, tibi eas potissimum inscribere. nam cum mihi proponerem ante oculos summam personæ tuæ dignitatem; vix videbar satis modeste facturus, si rem tantulam in tuo tanti viri nomine apparere vellem. rursum

cogitanti noctes & dies de plurimis tuis erga me, maximisq; beneficijs, quidam interdum obijciebatur metus; ne forte, non tu quidem, qui meum animum bene, vt opinor, perspectum habes; sed ceteri parum me gratum iudicarent, si diutius distulisssem aliquam grati erga te animi significationem dare. nam si expectare vellem, dum aliquid excuderem, quod vel dignitati tuæ responderet, vel beneficiorum, quæ à te accepi, magnitudinem adæquaret: vota mihi plane facienda erant, vt vsque ad illud tempus vitam producere liceret. est autem iniquum, eo nihil reddere, quia plurimum debeas. simul putabam, tibi non iniucundam fore memoriam illius temporis, quo tua mihi singularis humanitas summo & auxilio, & ornamento fuit. nam cum & nouitati à non nullis, & peregrinitati inuideretur meæ; tu vnus extitisti, qui causam meam acerrime susciperes, qui eam collegis tuis, viris omnium laudum genere dignissimis, studiosissime commendares, qui auctoritatis tuæ pondere plurimorum animos ad me amandum, & aliquo in numero habendum commoueres. Hæc me adduxerunt, vt satius ducerem, hoc pusillum testimonium dare obseruantia erga te meæ; quam



in aliquam parum memoris animi suspicionem longiore silentio incur-  
re. habeo autem in manibus cum alia quaedam, tum Ioannis gramma-  
tici commentarios in libros priorum analyticorum Aristotelis, quos ab  
alijs miserrime ac foedissime deprauatos, emendare, & in latinum ser-  
monem conuertere molior. ij, ubi absoluti erunt, in tuo ipsi quoque no-  
mine, si tu patieris, edentur. Vale. Venetijs, ad IX Kal.  
Nouemb. M. D. LV.



M. ANTONII MURETI

ORATIO DE LAVDE LITERA-  
RVM HABITA VENETIIS,

MENSE OCTOBRI,

ANNO M. D. LIV.



VAE singula hominibus ad  
dicendum accedentibus timo-  
rem facere consueverunt, pa-  
tres amplissimi, vosq; ceteri  
ciues ornatissimi, ea mihi se-  
se hodierno die obiiciunt vni-  
uersa. Siue enim loci amplitu-

do afferre perturbationis aliquid potest, Venetiis  
dicimus: siue audientium dignitas, magna lectissi-  
morum hominum adstante frequentia dicimus:  
siue ipsa orationis materia, dicendiq; conditio, ita  
dicimus, ut sit nobis eodem tempore de ingenio,  
de doctrina, de gloria, ornamentisq; omnibus in  
hoc literarum certamine periclitandum. Venetijs  
dicere, si quisquam est, qui parum putet, eum ne-  
cesse est in maximarum, earundemq; toto orbe  
notissimarum rerum ignoratione versari. Ecquis  
enim est hodie tam inaccessus, tam ab omni homi-  
num consortio remotus in terris locus, quò non  
huius præstantissimæ ciuitatis fama peruasisset? quis  
populus, quæ gens, quæ hominum natio vel tam

A immanis



immanis atque barbara, vel tam exculta disciplinis  
atque artibus, quam non iam pridem florentissima  
Venetorum reipublica non gloria modo & splen-  
dore nominis sui, verum etiam admiratione com-  
pleuerit? Hæc vero firmamenta reipublicæ, hæc  
ornamenta Italia, hæc virtutum omnium, laudan-  
darumq; artium præclarissima lumina intuentem,  
non commoueri, tantum id quidem est, vt, non  
dicam in meam hanc mediocritatem ingenij, sed  
vix in quenquam hominem, qui ceterorum de se  
iudicia extimescat, cadere posse videatur. Ete-  
nim si eloquentissimos olim viros accepimus, cum  
ad dicendum venissent, vnius principis aspectu ita  
conturbatos fuisse, vt obmutescerent; quid mihi  
tandem animi esse oportet, qui neque comparan-  
dus cum illis omnino sum, & apud vos dico, sena-  
tores amplissimi, ad quos cum oculorum conuer-  
to aciem, totidem mihi confessum principum vi-  
deor intueri? Ac ceteri quidem sæpe ad eam excu-  
sationem confugiunt, vt se, cum tenuitatis suæ con-  
fessii essent, tamen vel necessitate, vel officio impul-  
sos, vel amicorum siue precibus, siue temporali  
quo adductos, dicendi munus non tam appetuisse,  
se, quàm detrectare non potuisse dicant; quam to-  
tam rationem nobis hodierno die ipsa rei natura  
conditióq; præcludit. Non enim detrectantes, sed  
vltro nobis deposcentes hanc dicendi prouinciam;  
ad



ad eam non alienis precibus impulsus, sed vestra incredibili benignitate admisi sumus: ut si minus ex aliqua parte nostra uobis approbata fuerit industria, causa nulla sit, quin omnes accusandam potius nostram temeritatem, quam imbecillitatem subleuandam putent. Equidem cum & ab ineunte ætate, tum domesticis excitatus exemplis, tum ipsa hortante natura, honestarum artium studia coluerim, & ubi primum per ætatem licuit, quæ mihi meo ipse labore pepereram, aliis tradere ingressus, nouem prope iam annos in hac dicendi, ac docendi exercitatione consumpserim; tamen superiora illa considerans, ita commouebatur animo, facile ut hoc potuerim abstinere consilio, nisi me huc summa de vestra singulari humanitate concepta spes, & magna quædam approbandæ uobis, si minus eruditionis, at certe voluntatis meæ cupiditas impulisset. Ac mihi quidem, & cuius rei causa in hunc locum ascenderim, & ad quos uerba facturus sim, cogitanti, prorsus ita videtur; nullo in argumento meam commodius orationem posse uerbari, quam si, literarum disciplina quantum non ornamenti solum, verumetiam præsidij bene temperatis ciuitatibus afferat, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atque ex veteribus seculis repetita memoria exponam: minime id quidem, quo uos, tales viros, commonefaciam, excellentibus



cellentibus à natura ingeniis præditos, eruditos à  
studiis liberalium doctrinarum, à diuturno assiduóq;  
magnarum rerum vsu peritos: sed quia libenter facio, vt, quarum artium percepta scientia  
vnumquenque vestrum vehementer affici constat, earum animos vestros iucunda commemoratione delectem. Quæ cum ita se habeant; mihiq;  
ipsa per se delectæ ad dicendum materiæ dignitas satis magnam audientiam factura videatur: tamen magis consuetudine, quàm quòd ita necessarium iudicem; petam à vobis, vt mihi res pulcherrimas breui oratione comprehendere meditati, exigui temporis attentionem ne denegetis. Magna omnino vis, magnúmq; momentum positum est in literis, viri amplissimi, ad conseruandas, bonisq; cumulandas omnibus ciuitates. Nam cum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda sunt, è singulorum ciuium felicitate constet: singulorum autem felicitas in excolenda, exercendaq; virtute præcipue sita sit; & ad perfectam virtutem consequendam, necessariam quandam præcursionem adhibeant literæ: illud profecto consequitur, vt, nisi in qua literarum cultura vigeat, florere absolute ciuitas nulla possit. Ponite vobis ante oculos, omnes ætatis humanæ partes: omnem publicorum temporum varietatem, omnes instituendæ vitæ rationes & vias animo & cogitatione percurrite:



rite: nullam omnino reperietis, quæ non ita literarum auxilio indigeat, ut eas si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Ex nos, ubi primum firmiter incedere, atque articulatus loqui cœpimus, de ipso prope nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimæ voluptatis alliciunt, alleptos præceptis saluberrimis complent: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi, commonstrant vias: excitant in animis nostris igniculos gloriæ: quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quæ qui semel bene penitus imbiberint, ij nunquam non postea & vitij turpitudinem omni studio refugient, & officij honestatisq; rationem rebus alijs omnibus anteponent. Ut autem in semente posita spes messis est, ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ pendet. Vbi vero infirmam illam ineuntis ætatis teneritatem vigor adolescentiæ excepit, quæ tandem alia res aut animum præclararum rerum studio accendere, aut efferentibus sese cupiditatibus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frænâ iniicere, præter literarum tractationem, potest? Themistoclem olim, cum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis trophæo, quiescere volentem, excitari: quanto eos acius incendi, atque inflamari necesse est, qui quotidie non vnus, sed innumerabilium



numerabilium hominum virtute præstantium tro-  
phæa non è marmore constituta ad exigui prædi-  
cationem temporis , sed ad omnem æternitatem  
commendata literis intuentur? Neque vero perti-  
mescendum est , ne aut labore frangantur , aut vo-  
luptatis irretiantur illecebris ij , qui ætatis suæ flo-  
rem literarum studiis dedicandum esse statuerunt.  
Tanta siquidem est oblectatio paulatim acquiren-  
da cognitione rerum sese pascentis animi , vt ea  
qui fruuntur , ab iis neque laboris tædium , neque  
auocantium voluptatum blanditiæ sentiantur. Ita-  
que sapienter poetæ , cum ceteros omnis deos Ve-  
neris imperio subdidissent , in Mineruam modo &  
in studiorum præsides Musas nihil ei , nihil Cupi-  
dini iuris esse voluerunt. Quinetiam illud ab ijs-  
dem memoriæ proditum est , Iasonem olim cete-  
rosq; Argonautas , cum eam insulam , quæ ab amœ-  
nitate , florúmq; copia nomen inuenerat , præter-  
nauigarent , periculúmq; esset , ne molli , ac deli-  
cato Sirenum cantu , quæ eam insulam incolebant ,  
ad exitium perducerentur , vnum in Orptheo per-  
fugium habuisse : qui cum assedisset in puppi si-  
múlq; fides blandis impellere digitis , simul vocem  
illam , qua rupes nemoráq; traxerat , explicare cœ-  
pisset , tanta simul aures animósq; audientium vo-  
luptate compleuit , vt iam Sirenum vocibus nemo  
nauigantium moueretur. Hoc figmento , quid tan-  
dem



dem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula inuentus est, eam qui quasi præteruehantur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditiis decepti, & à recto itinere abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? quod, nisi Orphei, optimi ac sanctissimi vatis lyra? cuius suauitatem qui percipiunt, ij & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum illud iter emens, vellus aureum, id est, virtutem cum immortalis coniunctam gloria consequuntur. Nimirum vt maior lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio maioris extinguit. Quanto autem voluptas ea, quæ discendo sentitur, ceteris omnibus maior, sinceriorque sit, vel illud indicio est, quòd aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse, ac tedium, confitentur; huius vt quisque percepit plurimum, ita eam acrius, atque auidius concupiscit. Quod si cui forte dubium est, prodeat in medium Chrysiippus, qui sæpe studio intentus tanta voluptate perfruebatur, vt eum velut extra se positum cibi potitionisq; caperet obliuio. Prodeat solertissimus ille cœlestium orbium non per scrutator tantum, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum quas na

tura



tura fert, præ ea, quam capiebat è studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanæ vrbs direptione, ita defixus erat in studio, vt prius hostilis gladij cuspidem corpore exceperit, quàm vrbs in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam. Diripiebatur vrbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, vt in quæque inciderant, sine vlllo sexus, ætatis, ordinis discrimine obuios contrucidabant; vndique gladio- rum fulgor præstringebat oculos, vndique armorum sonitus, vndique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum eiulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, priuata publicaq; omnia circumsonabant; ipsa vrbs pene dimota & conuulsa sedibus suis, suorum ciuium in cæde ac sanguine natabat; cum vnus hominis mens in media ciuitate, ciuitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Te nimirum Archimedes incredibilis illa vis eximiæ voluptatis, quam haurit animus ex maximarum rerum scientia, humi stantem abripuerat; tuamq; mentem cum omni profusus oculorum auriumq; sensu in illud ipsum cœlum, illa ipsa, quæ intuebaris, astra sustulerat: itaque non tuus confosso corpore in cœlum euolauit animus, sed cum eò iam antea euolasset, tum demum in illis beatissimis sibiq; notissimis sedibus conqueiuit.



conquieuit. Solonem vero accepimus, cum in lectulo, morti proximus, decumberet, inaudissetq; assidentes amicos, de re quapiam, summissis, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, vt prout, iam semimortuo capite, rogasse eos, vt aliquanto loquerentur elatius; sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum è vita iucundiores fore. O discendi cupiditas; quid non efficias, vbi semel generosa ingenia occupasti. Tenebatur homo sapientissimus grauissima vi morbi defixus in lecto: vicinitate iam mortis ab omnibus pene corporis partibus sensus abscesserat: beatus ille animus, mox liber ac solutus futurus, è corporeis vinculis exilire cupiebat: cum quicquid supererat virium, eò contulit, vt deficiente lingua, vocibusq; interruptis ac morientibus suum doctrinae cognitionisq; desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse; qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tandiu floruit Atheniensium respub. quandiu tam præclari viri tenuit disciplinam. Sed vt eò redeamus, vnde nos facta præclarissimorum hominum mentio paulisper abduxit; dici profecto non potest, adolentes nobilissimi: vos enim, vos meam iam compellabit oratio: dici, inquam, non potest, ea studia, in quæ nunc roto pectore incumbitis, quanto olim vobis & ornamento, & auxilio futura sint,

B

sint,

sint, cum vos & generis vestri nobilitas, & vestra  
virtus ad reip. gubernacula admouerit. Etenim  
quibus artibus ciuitates præcipue conseruantur,  
pietate, iustitia, fortitudine, in primisq; pruden-  
tia, earum sunt omnium artium quasi semina lite-  
rarum prodita monumentis. Neque vero hæc à  
me ita disputantur, vt contendam, nisi literis eru-  
ditum, ciuem patriæ vtilem esse neminem posse:  
sed hoc dico; nisi literis exculi sint ij, qui velut in  
reip. puppi sedentes, clauum tenent, multis eos mu-  
neris sui, iisq; præcipuis partibus necessario de-  
futuros. Nam cum duo publicorum temporum ge-  
nera sint, vnum pacis, alterum belli, quorum alte-  
rum semper optabile est, alterum nunquam opta-  
bile, non nunquam necessarium; quomodo, vt  
hanc partem priore loco attingamus, in pace, ci-  
uibus iura describere, quantum cuique tribuen-  
dum sit, intelligere, ciuium inter se dissidia compo-  
nere, verba publice facere, legationes cum laude  
gerere, præterita tenere, futura prospicere, quid  
in omnibus rebus factu optimum sit, videre, & ex  
alijs alia colligere poterit, nisi qui hæc sibi de litera-  
rum fontibus haurienda omnia existimauerit? Nihil  
vero eorum recipienda sententia est, qui fieri pu-  
tant posse, vt qui reip. præest, quamuis literarum  
sit expers, tamen ad eas res, quas modo enumera-  
uimus, aliena opera non incommode vtatur. An

vero



vero T. Manlium Torquatum, memoriae proditum est, cum consul declaratus fuisset, excusasse valetudinem oculorum, & summum imperium detrectasse; quod indignum duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur: qui alieno ingenio, alienaq; lingua vbiq; vti necesse habebunt, ij satis ad gubernandos ceteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes, nihil prohibet acie ingenij etiam futura cernere, optiméq; consulere: quales in fabulis Tiresiam, in historijs Appium legimus: cuius vero doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare præclarum potest? Sed sunt quidam homines, qui cum literarum tractationem tranquillis pacatisq; temporibus & honestam in primis & vilem esse fateantur: ijdem tamen, cum occupata bello aliquo ciuitas est, latere eas, veluti perterritas metu, & inter tubarum lituorumq; clangorem, nullum sui amplius præbere vsum arbitrantur.

Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, & quantum vel in medio bellorum tumultu literarum valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, tum isti fortasse aliquid dicerent: nunc quis est, qui cum mihi & maximum esse in bellis consilio ac prudentia locum, & eas virtutes bona ex parte literarum



rum studio comparari, certe quidem insigniter au-  
geri, confirmariq; concesserit, idem tamen earum  
scientiam in bello inutilem esse contendat? An igno-  
ramus celebre illud regum regis Agamemnonis vo-  
tum, qui ut Troia facilius potiretur, non Achillis,  
aut Aiakis, sed Nestoris decem similes optabat si-  
bi? Neque temporis nobis ad viuendum à natura  
præscripti ea longitudo est, neque ita fert huma-  
narum rerum ratio, ut multis admodum bellis inter-  
fuisse vnus idemq; possit: itaque qui vnum alte-  
rumve spectarunt, multum sibi militaris pruden-  
tia collegisse existimantur. quid eos iudicabimus,  
qui hoc sibi diuturna librorum euolutione pepere-  
runt, ut omnibus, quotquot post hominum me-  
moriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur?  
Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut  
vtriusque partis consilia teneret, rerum admini-  
strandarum viam rationemq; cognosceret, euen-  
tus animo cerneret, quid non ei postea in rebus  
bellicis omnium consensu tribueretur? at hæc o-  
mnia, qui versantur in literis, aliaq; plurima ac pul-  
cherrima ociosi ac sedentes consequuntur. Taceo;  
quàm multa expressa sint eruditissimorum homi-  
num scriptis de virtute, de gloria, de caritate pa-  
triæ, de animorum æternitate, de præmijs quæ  
post mortem manent eos, qui se pro patria ani-  
mose ac fortiter gesserint, quæ tantam vim habent,



vt neque qui ea ignorent, veræ laudis habere gustum, neque qui tractant, veræ ac solidæ gloriæ ullam omnino rem anteferre possint. Quid illud, an non quantiuis est, quòd sæpe labantes iam ac deficientes exercitus eloquentum hominum voce legimus fuisse reuocatos? Citetur testis Lacedæmoniorum ciuitas, cuius exercitus Tyrtæi poetæ versibus inflamatus, pulcherrimam illam de Messenijs victoriam reportauit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus præstiterunt, aut fortissimos imperatores, qui eruditionis & doctrinæ gloria excelluerunt, enumerare institutam. Nam & Architam Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, & Melissum naualibus aliquot victorijs insignem fuisse, & ter stipendia fecisse Socratem, & Platonem, & Xenophontem egregiam in bello ciuibus suis operam præstitisse. Quid illa propugnacula Græciæ, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquat? Quid illa Romani imperij columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliósq; innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros, tum præstantes doctrinæ studijs fuisse, historiæ loquuntur. Nam Iulium Cæsarem, quis nescit, vtra laude præstaret, ambiguum posteris reliquisse? Brutus autem, quanto literarum ardore flagrauerit, vel ex eo colligi potest, quòd ea ipsa nocte, quæ mortem  
ipsum



ipſius anteceſſit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legiſſe aliquoties dicitur. Atque hoc præclare olim intellexiſſe videntur Mitylenæi, præcipuam eſſe in rep. vim literarum; qui, quos populos bello deuicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, niſi vt ne liberos ſuos literas edocerent. ſciebant videlicet eas tantum ciuitates florere poſſe, in quibus literarum ſtudia colerentur. Cuius rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, ciues, quòd viget hodie veſtra rep.; quòd floret, quòd beata eſt, quòd cum ceteræ orbis vniuerſi partes grauiffimis bellorum tempeſtatibus agitentur, vna hæc (quod ei deus opt. max. proprium ac perpetuum faxit) in pace atque in ocio conquieſcit, aliunde id fieri creditis, quàm quòd ei & præſunt homines cum ceteris omnibus, tum hac eruditionis & ſapientiæ laude clariffimi, & ſemper eorum fimillimi præfuerunt? O diuine Plato, tua ſunt omnia & dicta & cogitata præclare. Tu dicere ſolebas, tunc demum rep. beatas fore, cum eas aut philoſophi cœpiſſent regere, aut qui regerent, philoſophari. Tuum hoc ſapentiſſimum oraculum perpetua iam mille amplius annorum felicitate Venetorum rep. comprobauit. Equidem quo longius in altum inuehor, patres ampliſſimi, eo mihi amplior & patentior orationis veluti curſus oſtenditur. ſed & temporis me ratio, & veſtra ſingula-

quis

ris



ris sapientia, vt vela cōtraham, portūmq; tan-  
dem aliquando respiciam, monet. Neque enim  
credibile est, posse aut me, aut quenquam de lite-  
rarum præstantia, fructibꝫ; qui ex earum tracta-  
tione capiuntur, vobiscum melius, aut copiosius,  
quàm vnumquenque vestrum secum loqui: & mi-  
hi non tam orationis conquirenda copia est, quàm  
vestra satietas refugienda. Itaque finem dicendi  
faciam, si vos prius etiam atque etiam rogauero,  
vt si forte minus à me ornate ac copiose dictum est,  
quàm & huius loci amplitudo, & summa audien-  
tium dignitas postulabat, meum tamen idcirco pla-  
cendi vobis desiderium ne improbetis. Ego qui-  
dem si non indignus à vobis, qui sapius audiar,  
iudicer, erit, quod mihi magnopere gratuler: sin  
forte: sed reprimam me: neque committam, vt  
meis ipse votis videar male ominari: qui tamen à  
tot, tam præclaris viris, tanta benignitate auditus  
fuerim, magnum mihi non huius modo laboris,  
sed totius ante actæ vitæ fructum hodierno die ve-  
stro singulari beneficio videor consecutus.

D I X I.

ORATIO SECVNDA.



**T**ANTA est collati à vobis in  
 me beneficij magnitudo, pa-  
 tres amplissimi, vt mihi pro  
 eo, sicuti par est, vobis gra-  
 tias agere cupienti, non me-  
 diocris obijciatur metus, ne,  
 cum omnes ingenij mei vires  
 ad gratam illius commemorationem contulero,  
 mea tamen oratio longe multúmq; à rei ad dicen-  
 dum proposita dignitate abfuisse videatur. Ete-  
 nim quid à me amplius, quid præclarius, quid ho-  
 norificentius vel sperari, vel, dicam etiam, optari  
 poterat, quàm vt talium virorum iudicio, ad ex-  
 colenda disciplinis liberalibus huius nobilissima iu-  
 uentutis ingenia idoneus iudicaret? An vero for-  
 tissimos olim viros accepimus in Olympicis certa-  
 minibus tanto studio, tanta laborum tolerantia, tan-  
 to denique vitæ ipsius periculo solam vocem præ-  
 conis & coronæ testimonium petere solitos esse;  
 earúmque rerum adeptione ita esse gauisos, vt eo-  
 rum non nulli præ nimia lætitiâ in medijs gratulan-  
 tium amplexibus expirasse dicantur: ego in flo-  
 rentissima omnium, quæ sub cælo sunt, ciuitate,  
 nobilissimorum hominum iudicia de me honori-  
 ficentissima consecutus, aut mediocriter mihi gau-  
 dendum,



dendum, aut gaudium ea ex re meum tegendum  
vllō modo, ac dissimulandum putem? Nam illi  
quidem, vt votorum compotes fierent, roboris  
modo aut velocitatis laudem conſequebantur, qua  
rum vtrarunq; gloria clariffimos ſæpenumero vi  
ros à ſeruis & gladiatoribus ſuperari videmus: mi  
hi vos, patres ampliffimi, eorum quæ vel præcipua,  
vel ſola etiam in hominibus bona ſunt, probitatis  
atq; doctrinæ teſtimonium præbuiſtis. Quæ ſiue  
in me talia ſunt, qualia vos opinamini, faciendum  
eſt mihi, vt hæc veſtra de me in dies duplicetur o  
pinio: ſiue, quod magis arbitror, eximia vos na  
turæ veſtræ bonitas, vt multo plus mihi, quàm pro  
meo merito, tribueretis, adduxit; omnibus & cor  
poris & animi neruis eniti debeo, vt quam expe  
ctationem in animis ciuium veſtri de me iudicij au  
ctoritas excitauit, eius aliquam partem labore, di  
ligentia, aſſiduitate ſuſtineam, rebuſque ipſis eo  
rum vanitatem coarguam, qui ſuperioribus men  
ſibus, quaſi veſtræ, ſi dijs placet, prudentiæ diffi  
dentes, ne munus hoc peregrinis hominibus com  
mitteretis, è ſuperiore loco vos admonebant. Qui  
bus ego ita reſponſum volo, non vbi quiſque na  
tus fuerit, ſed quibus artibus ſtudium ſuum dede  
rit, quantumq; in ijs effecerit, in huiuſmodi rebus  
conſiderari oportere. Præclare enim hoc philoſo  
phi diſputant, vniuerſum hunc terrarum orbem

C      quaſi



quasi ciuitatem esse quandam, esseq; omneis inter  
se homines ciuili quadam societate copulatos. quæ  
qui tenent, ij & quoquò gentium venerint, nus-  
quam sibi peregrini videntur, & ipsi contra nemi-  
nem qui homo sit, pro peregrino habendum pu-  
tant. Neque vero hæc à me ita disputantur, quòd  
me patriæ pœniteat. non enim ex Scythia quapiam  
natus sum, ciues ornatissimi, quæ tamen ipsa quo-  
que suum protulit Anacharsin; non ex Thracia, cu-  
ius ex asperis & saxosis locis Orpheus tamen ena-  
tus est; non ex immani aliqua & inhospitali barba-  
ria, sed ex ea prouincia, quæ cum antiquitus elo-  
quentiæ studijs vel maxime floruit, tum hoc tem-  
pore, vt vni Italiæ facile cedit, ita ceteris omnibus  
facile excellit. Et vero quanto semper homines Gal-  
li eloquentiæ studio flagrauerint, vel ex eo intelli-  
gi potest, quòd antequam demissa cœlitus sapientia  
impijs falsorum numinum cultibus animos homi-  
num liberasset, tota Gallia Mercurium eloquentiæ  
præsidentem deum præcipua obseruantia coluisse per-  
hibetur. Quinetiam Herculem non eodem, quo  
ceteræ gentes, ornatu nostri colebant, sed inu-  
merabilem quandam hominum vim ab eo facie-  
bant trahi, catena quadam aurea, quæ è lingua i-  
psius ad aures circumfusæ multitudinis pertineret:  
cum illud videlicet indicarent, nullam esse rem ad-  
ducendos quò velis hominum animos dicendi co-  
pia

pia potentioſiorem . Iam quid illud memorem, quod à Strabone proditum nouimus, veteres illos Romanos magnam adoleſcentum ſuorum partem, Maſſiliam, quod oppidum in Gallia eſt, ſolitos mittere, vt ibi cum morum ſanctitatem imbiberent, tum honeſtis artibus inſtituerentur ? Sed & Lugduni annua eloquentiæ certamina celebrari ſolita poetæ tradunt, & iidem peculiari quodam epitheto facundam Galliam nominarunt . Quid in his immeror ? Marcus ipſe Tullius, eloquentiæ Romanæ parens ac deus, qui vnus effecit, vt, cum Roma vrbum omnium maxima eſſet, Romæ tamen Roma ipſa maius eſſe aliquid diceretur ; ille, inquam, M. Tullius, cuius admirabilem dicendi vim ac copiam nemo ſatis pro dignitate ne admirari quidem poteſt, à Gallo ſe homine Plotio eloquentiæ præcepta didiciſſe proſitetur . Idemq; Plotius primus omnium Romæ ludum aperuiſſe traditur . Quis porro vnquam vel ſando audiuit, vllam fuiſſe bene inſtitutam ciuitatem, in qua peregrini ab erudiendis adoleſcentibus repellerentur ? Quis Quintilianum ex Hiſpania oriundum fuiſſe neſcit ? at is & per viginti annos Romanam iuuentutem publice docuit, & homo Hiſpanus, conſularia Romæ ornamenta fortitus eſt . Ac ne quis forte noſtris hominibus iſtam ſummi honoris viam minus paruiſſe, quàm Hiſpanis, putet, eundem eſt honorem



Burdigalensis Aufonius Gratiani principis à se erudi beneficio consecutus. O Atheniensium ciuitas, humanitatis parens, bonarum omnium artium procreatrix. quantum tu à peregrinorum hominum odio abfuiti. tu Apollodoro Cizyceno, tu Heraclidi Clazomenio, tu aliis peregrinis quamplurimis reip. summam sapenúmero credidisti. Et quisquam reperietur, qui, cum Romanorum, cum Atheniensium gens omnes in quibus esset aliqua virtus, nunquam non humanissime complexa sit; Venetorum rémp. quæ & hac, & ceteris laudibus omnes superiorum temporum respp. vna superaerit, sui nunc dissimilem in ornandis literis esse oportere arbitretur? Præclare ille apud optimum poëtam fortissimus imperator; Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginensis, Quisquis erit. Præclare vos quoque, patres amplissimi, cum ego pro viri-um modulo specimen ingenij mei iubentibus vobis dedissem, visusq; essem adhibita diligentia nauare aliquid posse: quòd peregrinus essem, nihilo me minus iccirco humanitate vestra complectendum iudicatis. Quinetiam vt plus mihi animorum adderetis, ex eo me loco docere voluistis, vbi homines ita diuino cultui addictos, vt cum summa integritate & sanctimonia vitæ summam rerum maximarum cognitionem scientiamq; coniunxerint, quodidianos industriæ meæ testes habiturus essem.

Vnam



Vtinam igitur, patres amplissimi, vósq; ceteri ci-  
ues ornatissimi, vtinam mihi parem aut voluntati  
erga vos meæ, aut beneficijs erga me vestris facul-  
tatem natura tribuisset. efficerem profecto, vt o-  
mnes faterentur, nullum vnquam beneficium post  
hominum memoriam melius collocatum fuisse.  
nunc illud tantum vobis polliceri habeo, effectu-  
rum me, vt à me neque diligentia, neque assidui-  
tas; curaturum, vt ne cetera quidam quæ ad hoc  
munus obeundum necessaria sunt, magnopere de-  
siderentur. Vestrum est, adolescentes nobilissimi,  
etiam atque etiam prospicere, ne cum quæ ad ani-  
mos vestros omni elegantis doctrinæ cognitione  
complendos pertinent, vobis affatim suppetant o-  
mnia, tantas opportunitates neglexisse, vobisque  
ipsimet defuisse videamini. Cogitate nihil vobis  
claritatem patriæ, nihil splendorem generis, nihil  
opum ac copiarum affluentiam prodesse posse, nisi  
ad hæc omnia studium virtutis, & ingenuarum ar-  
tium tractatio accesserit. Nati estis in ea ciuitate,  
quæ vna toto orbe terrarum inexhaustum quod-  
dam illustrium virorum seminarium existimatur:  
à qua cum vnusquisque vestrum tantum ornamen-  
ti ac splendoris acceperit: æquum est, vt ad eam  
omnes vicissim, pro sua quisque parte, exornan-  
dam, studia omnia, cogitationésq; vestras diriga-  
tis. Plato, quòd Athenis natus esset, gratias dijs  
immor-

asilidon



immortalibus agere solebat : vos quòd Venetijs  
 nati sitis , est quod vobis non mediocriter gratule-  
 mini . effecit Plato , vt Atheniensis ciuitas , quòd  
 eum edidisset , merito vicissim dijs immortalibus  
 gratias agere posset : vobis quoque faciendum est ,  
 vt hæc præclassima ciuitas sibi aliquando , quòd  
 vos in lucem protulerit , gratuletur . Qui è vobis  
 nobili loco orti sunt , caueant , ne plus accepisse  
 splendoris à maioribus , quàm ipsi posteris reliquis-  
 se videantur : quibus non ita clari parentes conti-  
 gerunt , cogitent nullum esse tam obscurum ge-  
 nus , quod non virtutis splendore illustrari queat .  
 Præclare Plato , καλὸς , inquit , θισαυρὸς αἱ τῶν πατέρων  
 ἀρεταὶ , κάλλιον δὲ ἀντιβῆναι δύνασθαι τὸν τοῦ Σθένης λόγον , Ἡμεῖς  
 τοὶ πατέρων μὲν ἁμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι . Pulcher omnino the-  
 saurus est parentum virtus : sed multo pulchrius  
 est illud Sthenei vsurpare posse , Nostra quidem  
 virtus longe anteferenda paternæ est . Hoc igitur  
 assidue volutent animo , quibus datum est , vt ad  
 summam gloriam recto itinere tendentibus , assi-  
 due liceat pedem in maiorum suorum vestigijs po-  
 nere . Ceteri cum alios multos sibi proponant , tum  
 vel in primis Themistoclem , cui nihil generis ob-  
 scuritas obfuit , quominus Atheniensium ciuitati  
 summo ornamento fuisse diceretur . Itaque cum  
 ei quidam maiorum imaginibus tumens , paren-  
 tum ignobilitatem objiceret , At meorum , inquit ,  
 nobilitas



nobilitas à me initium capiet, tuorum in te desinet. Hæc igitur cum animis vestris cogitantes, arripite alacribus animis oblatam vobis discendi occasionem. Ego quidem hoc, adstante hac clarissimorum hominum frequentia, in hoc augusto, & consecrato ad numen colendum loco, sancte polliceor, nihil me omnino ( quantum quidem in me erit ) prætermitturum, quo vestra studia vltimo modo adiuuari posse videntur.

## D I X I.



ORATIO TERTIA,

HABITA POSTRIDIE

NON. OCTOB. M. D. LV.



ERMULTOS esse intelligo, qui de his literis, quæ humaniores vocantur, eam animo imbibere sententiam, vt earum tractationem leue quiddam esse, ac nugatorium existiment: neque aut magnos admodum labores ab ijs suscipi, qui eas iuuentuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse reip. industriam: in eis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed circumforaneam quandam, haustamq; de triuijs ac circulis requiri doctrinam putent. à quibus ego quoniam ita dissentio, vt ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel grauissimum munus esse contendam: neque vllos esse, qui aut laborum plus perferant, aut maiores in rep. pariant fructus: doctrinæ denique à nullo hominum genere maiorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, patres amplissimi, vósq; ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, & nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, à contemptu, atque ab intolerabili



bili ineruditorum hominum insolentia vindicare .  
& vero quid aut huic tempori, aut omnino meo mu-  
neri facere conuenientius possum; quàm vt, quæ mi-  
hi studia celebritatis aliquid cum alijs in locis, tum  
hac ipsa in ciuitate pepererunt; à quorum ego ve-  
luti fontibus ad hanc quantulamcunque profluxit  
hominum famam; ijs quoque vicissim oratione  
mea splendoris ac claritatis afferre aliquid coner-  
præsertim cum qui hoc literarum genus aspernan-  
tur, facere nullo modo possint, quin de vestra,  
patres amplissimi, singulari, spectatâq; in omni-  
bus rebus, ac pene diuina sapientia non nihil eadem  
superbia detrahant. Etenim si hæc tota res tam le-  
uis est, quàm isti eam videri volunt: quæ vos tan-  
dem causa commouit, vt proximo superiore an-  
no, propositis publice libellis, studiosorum homi-  
num animos ad nobilem illam ingenij doctrinâq;  
contentionem excitaretis; utq; ijs, qui vobis in eo  
certamine probati essent, honestissimum postea  
præmium ex arario decerneretis? quæ mehercu-  
le vna res ad coërcendam istorum temeritatem sa-  
tis ponderis habere debebat: vt si hebetiores eos  
natura, stolidiorésq; finisset, quàm vt peruidere  
harum rerum præstantiam possent; quod tamen  
vestro talium virorum iudicio probatum foret, ma-  
gnum esse aliquid, ac præclarum suspicarentur.  
Sed quoniam cum ijs, qui auctoritate non mouen-  
tur,

D

tur,



tur, rationibus agendum est: adeste animis; mihiq; breuiter ostendenti, quàm varia, quàmque multiplex eruditio requiratur in ijs, qui literas humaniores docent; eadèmq; opera, quantos ex eorum nauitate atque industria resp. percipiat fructus; non aures modo, sed mentes quoque attentas, quæso, paulisper adhibete. Atque adeo, vt hæc tota controuersia melius dijudicetur, operæpretium est, initio, quænam sit istorum contemptorum humanitatis oratio, cognoscere. qui quoniam eos, qui hæc literas tractant, ad nullum fere maioris momenti negotium adhiberi vident, non ad iudicandas lites, non ad agendas causas, non ad dicendam de rebus grauioribus sententiam: facile in eam opinionem prolabuntur, vt ab eis, præter poëticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compositas, & aliquot leuia comendæ, ac poliendæ orationis præcepta, nihil omnino teneri putent. quid autem magni negotij est, inquirunt, in puerorum confessu de eiusmodi figmentis commemorare, ac modo de Thebano, modo de Troiano bello, modo de Vlysis, aut Aenææ erroribus, molli, & ad inanem oblectationem composito sermonis genere differere; identidèmq; velut è quibusdam arculis accommodata colorandæ orationi pigmenta depromere? Ecquæ autem magna eruditio est, scire, quot nauibus Græci ad oppugnandum



gnandum Ilium accesserint ; quot filios habuerit  
Priamus ; Helenam rapuerit Alexander , ut Ho-  
merus , an Helenæ simulacrum , vt Euripides pro-  
didit ? quod emolumentum ex istorum omnium  
scientia ; quod detrimentum ex ignoratione perci-  
pi potest ? Nam ceterarum quidem artium profes-  
sores quantum vtilitatis afferant , perfacile est ad in-  
telligendum . siue enim dialecticos spectes ; ab ijs  
certa quædam veri falsiq; in rebus omnibus co-  
gnoscendi ratio traditur : ij se , quid cuique con-  
sentaneum sit , quid repugnans , quid ex quoque  
efficiatur ; quæ sit diuidendi , quæ finiendi , quæ  
argumentandi ratio , & tenere , & alios docere præ-  
se ferunt . quid physici ? qui rerum principia , cau-  
sasq; tractant ; qui , quomodo quidque gignatur ,  
quóq; modo intereat , edisserunt ; qui nimborum ,  
fulminum , tempestatúmq; causas ; qui corporum  
cælestium magnitudines , interualla , cursus , pro-  
gressiones , institutiones ; qui animi naturam , qui ra-  
tionem sensuum , qui animantium omnium ortus ,  
victus , figuras ; qui stirpium , qui omnium ferme  
rerum , quæ gignuntur è terra , naturas ita perse-  
quuntur , nulla vt pars ab eis cælo , mari , terra , vt  
poëtæ loquuntur , prætermisssa sit ; hæc cum tra-  
ctant , mediocritérne reip. profunt ? Nam si ad eos te  
conuertas , qui eam susceperunt philosophiæ par-  
tem , in qua de rebus expetendis fugiendisq; disse-  
ritur ;



ritur ; ij vero sunt , quorum industria nulla unquam poterunt præmia satis ampla reperiri . quibus enim , dij immortales , quámq; præclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus ? qui hoc primum docent , qui sit finis , quid extremum , quid vltimum bonorum omnium ; quem velut ad scopum omnes actiones , omnes cogitationes , omnia consilia referri oporteat : quot sint virtutum , quótq; vitiorum genera ; quibusq; modis illas assequi , ab his declinare possimus : quomodo exultanti , iactantiq; se , & detrectanti rationis imperium , frænos iniicere oporteat cupiditati : tum quomodo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat : postremo , quo nihil pulchrius , nihil præclarius , nihil denique diuinius ne votis quidem conceptis optari potest , quibus moribus , institutis , legibus temperandæ sint ciuitates : quibus illæ modis fundari atque institui ; quibus augeri , atque amplificari , quibus denique copiosissimæ , locupletissimæ , vno verbo , beatissimæ effici possint . o res præclaras , dij immortales , & ardentissimo studio , summáq; corporis atque animi contentione dignissimas . o vitæ philosophia gubernatrix , o virtutum omnium parens , vitiorum omnium expultrix . tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere : tuum est omnem inanitatem & errorem amputare , ac circumcidere : tuum est vitiorum fibras euellere ,



euellere, stirpes elidere, semina extinguere. merito diuinus Plato nihil te præstantius hominum generi à dijs immortalibus dari potuisse dicebat. eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti: perfricent frontem, si quam habent, & se vlla ex parte cum philosophiæ doctoribus conferendos esse prædicent. qui si aliquod forte paulo abstrusius loquendi genus, aut aliquam vocolam non ita peruulgatam, aut quamquam paulo reconditiorem fabulam reperire poterunt, dignos se inaurata statua putant. nonnunquam etiam de eiusmodi tricis ita inter se digladiantur, vt pro aris & focis certamen suscepisse videantur. hæc fere est, patres amplissimi, eorum, qui studia laborésq; nostros deprimere conantur, oratio: qui quòd philosophiam laudant, libentibus id nobis, atque approbantibus faciunt: nunquam enim cuiquam concedemus, vt eam plus amet, plurisve faciat: quòd autem nullum censent studijs atque artibus nostris cum ea esse commercium; in eo quantopere fallantur, facile ex ijs, quæ dicturus sum, intelligetur. Nam primum omnium, si hoc ipsis concederemus, nihil aliud à nobis, quam poëticas fabulas, & exornandæ orationis præcepta tradi: non ex eo tamen efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam, & ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque aliò, quàm ad puerorum



rorum animos vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poetarum fabulæ, quas isti tantopere exagitant, & insectantur, non leuia quædam, & frugis expertia ocioforum hominum commenta sunt: immo vero sub eis, velut inuolucris, atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. Eratosthenem quendam fuisse aiunt, qui poetice ita contemneret, vt Homerum ineptæ loquacitatis magistrum nominaret. at hercule Plato, at Aristoteles, quorum non paulo maior est, quàm nescio cuius Eratosthenis, auctoritas, ita sæpe repetitis ex eo testimonijs vtuntur ad confirmanda ea, quæ tradunt, vt eum non tantum studiosissime legisse, sed vix vnquam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari soleo, cum quidam, qui se philosophos uideri cupiunt, & quidem eiusmodi philosophos, vt, velut Atlante cælum, ita philosophiam supercilio suo niti putent, ita despiciatui ducunt poetas, vt eorum scripta aspicere se dignari negent. qui quidem cuiusmodi philosophi sint, ipsi viderint; cum eos contemnant, quos philosophorum coryphæus Plato modo sapientiæ patres ac duces, modo deorum interpretes, modo deorum filios vocat. Aristoteles autem, cuius isti se germanos esse interpretes gloriantur, non tantum, vt ante dixi, in omnibus scriptis



scriptis suis identidem poetarum testimoniis utitur, verum etiam libro primo de sapientia, philosophum omnem, fabularum amatorem esse confirmat. quod igitur Aristoteleos esse se aiunt; forte verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse affirmarent: hunc enim ex omni memoria vnum fuisse philosophum accepimus, qui cum omnem elegantiam doctrinae, tum poetarum praecipue scripta contemneret. quod quidem se, negligendis poetis, ex Aristotelis disciplina ac familia censei volunt; in eo, meo quidem iudicio, faciunt & impudenter, & imperite. At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de poetarum laude dicam: quod si esset; facile ostenderem, omnia praecepta vitae, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quam à philosophis ipsis, doceri. non igitur, cum poetarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementim quandam virtutis atque doctrinae facimus: non in leuibus, minimèque frugiferis rebus operam sumimus; sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos influant, invariabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. quid, cum ornate ac copiose loquendi praecepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quae semper principem locum in omni bene instituta ciuitate tenuerunt? an nescimus, eloquentiam



tiam à grauisſimis auctõribus rerum omnium regi-  
nam vocari? hæc enim eſt illa virtus, quæ quamli-  
bet in partem arbitrato ſuo flecit audientium ani-  
mos, eosq; pulchritudinis ſuæ ſplendore obſtupe-  
factos, quibusdam velut habenis numeroſæ ora-  
tionis regit. hæc illa eſt, quæ conſolatur mœren-  
tes, afflictos excitat, iacentes erigit: quæ ſcelera-  
tis exitio eſt; innocentibus præſidio: improbis ter-  
rori; probis ornamento. hæc Cicero fretus Catili-  
næ furores, & nefarie in patriam inita conſilia diſ-  
ſipauit: hæc togatus ſuperauit armatos: vt vel ini-  
micorum confeſſione omnibus triumphis maio-  
rem adeptus lauream diceretur. hæc inſtructi qui  
ſunt, maius omnibus tyrannis imperium in homi-  
nes obtinent. ſiquidem tyranni poſſunt illi quidem  
corpora conſtringere; animis nullam adhibere  
vim poſſunt: hi vero dominantur in animis: quæ-  
que ipſis honeſta atque vtilia videntur, ea non fa-  
cere modo alios, ſed etiam velle cogunt: illi inui-  
tis imperant; hi volentibus: illi & oderunt omnes,  
& odioſi ſunt omnibus; hos in omne hominum ge-  
nus beneficos, perpetua omnium beneuolentia co-  
mitatur. neque vero non qui eloquentiam con-  
temnere ſe ſimulant, illius præſtantiam intelligunt:  
ſed quod aſſequi non queunt, inuidioſe vitupera-  
re malunt, quàm ingenuè de imbecillitate ſuarum  
virium confiteri. Orationis igitur meæ ſumma eò  
redit



redit denique : etiam si nihil aliud à nobis requireretur , quàm vt explicaremus poetarum fabulas , & iuuentuti quasi vias , quibus ad dicendi facultatem peruenire posset , indicaremus : tamen neque mediocriter reip. prodesse nos , neque paruis in rebus contemnendisq; uersari . Nunc tantum abest , vt ea solum requirantur à nobis ; vt nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio , cuius non aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum , qui munus hoc cum laude sustinere meditetur . itaque hoc inter nos & alios interest , quòd alij eos tractant scriptores , quorum vno aliquo de genere tota disputatio est . non enim fere in libris dialecticorum , physicorumve , aut in ijs quibus medicinæ , iurisve civilis scientia continetur , quicquam reperias , cuius intelligentiam non ex illis ipsis , de quibus inscripti sunt , artibus repetere possis : at nobis ij quotidie sunt explicandi libri , qui cum scripti sint à viris omni scientia excultis ; ipsi quoque innumerabiles locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent . itaque ceteri etiam si eam vnam artem teneant , quam docent , aliarum omnium sint omnino rudes : tamen sufficere posse suo muneri existimantur : neque vnquam aut medico turpe habitum est , nescire leges ; aut iurisperito vel medicinam , vel astrorum scientiam non tenere . nos vni sumus , quibus omnis illa liberalium artium va

E rietas




rietas non pertractanda quidem, ac pernoscenda  
penitus; sed degustanda tamen, & delibanda ne-  
cessario est. non longe abierimus. superiore anno  
Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus.  
quàm multa ibi nos explicare meminerunt, qui  
tum aderant, in quibus alios propemodum omnes  
iuris ciuili ignoratio fefellerat? libros eiusdem de  
finibus nunc ipsum interpretandos suscipimus.  
quàm multa nobis ex omnibus philosophiæ parti-  
bus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quo-  
que libros ignorari necesse est? quid astrorum ra-  
tio? quid terrarum situs? nisi qui hæc vtraque vt-  
cunque teneat, satisne se quisquam idoneum poe-  
tarum interpretem profiteri potest? & tamen vs-  
que eo alienis laboribus iniqui homines reperien-  
tur, qui ludere nos, ac iocari, & nihil in docendo  
aliud, quàm puerilem voluptatem, aucupari pu-  
tent? nam illud quoque minime prætermittendum  
est, quòd à grauiorum artium doctoribus neque  
ornata, neque elegans, neque, multis quidem in  
locis, latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in  
dicendo, & impure, improprie, barbære loquantur:  
suo id eis quodam iure licere creditur. at nobis <sup>di</sup>ci-  
centibus, sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant;  
vt si quid exciderit parũ expolitum, diem nobis con-  
tinuo dicant violatæ latinitatis. quòdque postremæ  
iniquitatis est, peccare nos putant, nisi in ijs etiam,  
quæ

quæ subito fundimus, plurimi illigati sint & verbo-  
rum & sententiarum lepores. quæ cum ita sint, quis  
est, qui non intelligat, si hominũ expectationi huius  
professionis satisfacere cupiamus, infinitos esse no-  
bis labores exhauriendos? desinant igitur, desinant  
isti alienæ industriæ contemptores, gloriæ obtre-  
ctatores: comprimant uocem stultitiæ atque inui-  
dentiæ indicem. Vos vero, patres amplissimi, per-  
gite, vt facitis, benignitate vestra labores nostros  
fouere: vt hæc florentissima, & bonarum artium

studijs deditissima iuuentus, exercitacioni-  
bus hisce nostris ad virtutem præpara-  
ta atque præculta, vestram olim


in hac felicissima rep. gu-  
bernanda sapientiam  
facilius imitari  
queat.

D I X I.



CAROLI SIGONII

Pro Eloquentia  
Orationes  
IIII.



VENETIIS, M D L V.



